AUGUSTINUS

Klosterneuburg, 3. Drittel 12. Jh. Seite 199r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



cis. Quomodo inquis uita maledico? Quia attenditur uita tua. & dicitur. Ecce xpi
anus. ecce quales sunt xpiani. Blasphematur propter te xpc. Ecce cum uita tua male
dicit. quid prodest quod lingua tua benedicit? Benedicite ergo dominum. Quando? In
noctibus. Quando benedixit iob? Quando tristis nox erat. Ablata sunt omnia
que possidebat. ablatis filiis quibus seruabantur. Quam tristis nox. Videamus
si non in nocte benedicit. Dominus dedit. dominus abstulit. sicut domino placuit ita factum est.
sit nomen domini benedictum. Que nox? Atro percussus uulnere. a capite usque ad
pedes. putrefactus liquescebat in se. Tunc cum eua ausa est temptare. Dic aliquid in
deum tuum. & morere. Audi benedicentem in noctibus. Locuta es inquit quasi una
ex insipientibus mulieribus. Si bona suscepimus de manu domini. mala non tolera
mus? Ecce quid est in noctibus extollite manus uestras in sancta. & benedicite dominum.
Quid dixit iob? Locuta es tanquam una ex insipientibus mulieribus. Adam pu
tris repulit euam. tanquam dicens. Sufficit quod propter te mortalis effectus sum.
Valueras in paradiso. sed in stercore uinceris. Magna gratia dei. Sed unde hoc. nisi
si ros hermon compluerat illam animam? Sed dederat dominus suauitatem. ut terra nostra
daret fructum suum. In noctibus extollite manus uestras in sancta. & benedicite dominum.
Benedicat te dominus ex syon. qui fecit celum & terram. Plures hortatur ut bene
dicant. & ipse unum benedicit. quia ex pluribus unum fecit. Quia bonum & iocun
dum est habitare fratres. pluralis numerus fratres. sed singularis habitantes in unum. Ideo
benedicat te dominus ex syon. qui fecit celum & terram. Nemo dicat uerum. ad me
non peruenit. Ruta. Quis est quem dixit. benedicat te dominus ex syon? Unum benedi
xit. Esto unum. & peruenit ad te bene DICTIO.

Explicit Canticum Graduum. Incipit de psalmo. c. xxxiii.

Laudate:

Laude nobis dulce esse debet. & dulce nobis esse gau
dendum est. quo nos psalmus iste cohortatur. Dicit enim. Lau
date nomen domini. Causamque ipsam quare iustum sit ut laude
mus nomen domini. continuo subiecit. Laudate serui
dominum. Quid iustius? Quid dignius? Quid gratius? Etenim si non laudauerint
serui dominum. superbi ingrati. irreligiosi erunt. Et quid faciunt non laudan
do dominum. nisi ut seuerum sentiant dominum? Neque enim seruus ingratus si dominum su
um laudare noluerit. ideo efficit ut seruus non sit. Laudes non laudes seruus es.
sed si laudes propiciabis. si non laudes offendis. Bona ergo exhortatio & utilis. unde
magis satagere debemus quemadmodum laudandus sit dominus. quam dubitare laudan
dum. Laudate ergo nomen domini. Hortatur nos psalmus. hortatur nos propheta. hortatur nos
spiritus dei. hortatur postremo nos ipse dominus. ut laudemus dominum. Non enim laudibus
ipse crescit. sed nos. Deus nec melior fit si laudaueris. nec deterior est si uituperaueris